Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26044
Copyright: Admont, Benediktinerstift

108

Incipit liber octavus. Cap. I.

SICUT EX SCRIPTIS SAC(RIS)
docemur, civitas Christi primo violentam acuitate mundi sub tyrannis
infidelibusque regibus, secundo fraudulentam hereticorum, tercio fictam hypo
critarum tempore persecutionem passa, ultimam tam violentam quam frau
dulentam fictamque ac omnium gravissimam sub Antichristo passura erit. Qui ex Christi, quod Christum se
mentiens Christo per omnia vita et doctrina oppositus erit, Antichristus tamquam contrarius Christo
vocatur. Greci enim anti contra dicunt. Porro de tribu Dan, servuli scilicet condicione, ex
illa qua dicitur auctoritate "Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita" nascitu
rus creditur.

Secundum. Cap.

Que vero adventum eius indicia precedant, apostolus insinuat, qui Thessalonicensibus scri
bens ait: Et nunc quid detineat scitis, donec reveletur in suo tempore. Nam misterium iam operatur
iniquitatis. Tantum ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat. Et rursum: Nisi venerit dis
cessio primum et revelatus fuerit filius iniquitatis, filius perditionis et cetera. Quod quidam ad Neronem, cuius tempore scrip
sit Paulus, interpretantur, sicut superius dixisse me memini, alii vero de diabolo cum membris
omnes ad reprobam civitatem pertinentes hoc dictum estimant, aiuntque Paulum in
tellexisse diabolum, qui per membra sanctos persequendo misterium iniquitatis operabatur,
tunc in suo tempore, id est in fine mundi, ad manifestam impietatem revelandum fore ac
collectas vires per Antichristum effusurum. Unde in Apokalipsi habes, quod per mille annos,
quibus quidem numerus plenitudinem temporis significat, Satan, qui modo in reproborum mentibus mali
ciam intra se cohibentibus tamquam in abisso ligatur, noscitur solvendus, id est ad manifes
tam nequiciam prorupturus totasque vires effusurus sit. Et nota, quod Paulus omnem presentis
diei maliciam non iniquitatem, sed misterium iniquitatis nominat, ut perhibeat omnisque
ecclesia a primo tempore usque ad Antichristum patitur labor respectu illius quem tunc passura
erit non iniquitas, sed tamquam misterium, id est species iniquitatis appareat. Vel misterium vo
cat tamquam occultum; res enim secretas misticas dicere solemus. Et est sensus: In il
lo tempore tam manifesta, tam periculosa, tam cruenta erit tribulatio, ut omnem quam
nunc patitur vel passa fuit ecclesia, comparatione illius quasi occultam reputet.
Quod vero subsequitur et ait: Qui tenet teneat, donec de medio fiat, predicto sensui ac
comodatum cernitur, velut qui nunc sub honesto pudore vicia revelata tenet
teneat, donec processu temporis inverecunda fronte ad medium, id est ad publicum,
commissa veniant. Hoc etiam videtur innuere, cum premisit: Quid detineat scitis, donec